



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola I. Gregorii Papae I. Ad Petrvm Svbdiaconvm Campaniae. De  
persecutione Pauli episcopi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

## LIBRI SECUNDI PARS ALTERA.

*Indictione XI. anno ordinationis eius III.*

## EPISTOLA I.

## GREGORII PAPÆ I.

AD PETRVM SVBDIACONVM CAMPANIÆ.

De persecutione Pauli episcopi.

*Gregorius Petro subdiacono Campaniæ.*

**Q**VALE in castello Luculano sit scelus in Paulum fratrem & coepiscopum nostrum commissum, directa nobis fecit relatio manifestum. Et quia his diebus Scholaisticus vir memorabilis, Campaniæ iudex hic præfens inuentus est, specialiter ei iniunximus, ut tantæ peruersitatis insaniam disticta debuisset emendatione corrigere. Sed quia nunc prædictæ relationis portitor nos vt personam dirigeremus admonuit, ideo Epiphanius subdiaconum illuc direximus, qui vna cum præfato iudice a quibus excitata sit, vel commissa seditio, inuestigare ac cognoscere possit, & digna vltione vindicare. Experiencia ergo tua ita tota virtute in hac causa solatiari festinet, quatenus & cognosci veritas, & in delinquentes valeat vindicta procedere. Quoniam igitur mancipia gloriose Clementiæ in eodem scelere interfuisse, & voces quæ seditionem commouerent iactitasse dicuntur; si ita est, distictæ ea imminenti vltioni substerne, nec pro persona illius sit vestra seueritas remissior: quia tanto amplius ferendas sunt, quanto, vtpote nobilis feminæ pueri, ex sola superbia deliquerunt. Sed & illud subtili vos oportet indagatione perquirere, vtrumne prædicta femina in tanta habuerit sceleris immanitate consilium, aut si cum eius est scientia perpetratum: vt quam sit periculose non solum manibus, sed etiam in sacerdotem verbis excedere, ex nostra cuncti possint defensione cognoscere. Si quid enim in hac causa lentatum fuerit, vel omissum, ad tuam culpam, ac potius cognoscas pertinere periculum: nec aliquem apud nos excusationis locum inuenies. Nam quanto te apud nos res ista, si distictissime fuerit perscrutata & emendata, commendat; tanto si lentata fuerit, nostram

M m iij

Iuo p. 16. c.  
69.

contra te scito indignationem exacui. Mancipia autem si  
qua de cetero in monasterio sancti Seuerini, vel in alia ec-  
clesia eiusdem castelli de ciuitate refugerint, mox ut ad  
notitiam tuam peruerterit, nullo modo illic ea immorari  
permittas, sed intra ciuitatem in ecclesiam reuocentur:  
& si iustum contra dominos suos querelam habuerint,  
cum congrua ordinatione de ecclesiis exire necesse est.  
Si vero venialem culpam commiserint, dominis suis ac-  
cepto de venia sacramento sine mora reddantur.

## EPISTOLA II.

## G R E G O R I I P A P Æ I.

A D P A V L V M E P I S C O P V M.

Consolatoriam scribit epistolam.

*Gregorius Paulo episcopo.*

**L**ICET non mediocriter nos contrastauerit cognita,  
quam es perpeſſus, iniuria; habemus aliquam tamen  
consolationis materiam, quod laudem tuam huic rei in-  
ſe cognouimus, ob id quod pro æquitatis rectitudine  
hoc, quantum directa nobis patefecit relatio, pertulisti.  
Ut ergo ad maiorem fraternitatis tuae gloriam applicetur,  
haec res constantiam tuam nec frangere, nec a via debet  
veritatis auertere. Nam maior in sacerdotibus merces est,  
in veritatis tramite etiam post iniurias permanere. Ac ne  
tantæ impietatis infania inulta remaneat, & in peius indi-  
ſciplinatio pernicioſa prorumpat, Scholaſtico viro me-  
morabili Campania iudici, quia hic præſens inuentus est,  
ut haec digna coercitione vindicare debuiffet, iniunxi-  
mus. Sed quia homines tui a nobis, ut personam dirigeremus,  
petiuerunt, propterea Epiphanium subdiaconum illuc  
nos transmisſe cognosce, qui vna cum ſupraſcripto iudi-  
ce inuestigare valeat ac cognoscere veritatem, quatenus  
in eos a quibus tantum nefas immiſſum conſtituerit vel  
perpetratum, ſua instance dignam faciat exerceri vin-  
dictam.